

## *Bibliotheca Reckiana.*

III V. 382.

# CATECHISMVS

# MELICVS

# LATINIS CHRISTIANORVM

SCHOLIS DICATVS.

**OPERA**

## G. E. STENDERI

PRAEPOS. DIOEC. SELBURG.

## MITAVIAE,

EX OFFICINA TYPOGRAPHI BVCALIS

J. F. STEFFENHAGEN.

JACCI XXXII.





## PROÆMIUM.

*Quam miseranda est illa religionis  
tradendae facies, quae saltē in ad-  
discendo Catechismo, doctrinae morum  
parum congruo, consistit. Hoc est,  
quod me impulit, hunc Catechismum,*

*morum*

H III A

Tartu Riikliku Ülikooli  
Raamatukogu  
21824

morum regulis magis instructum, ad  
formam sacrarum cantionum rythmice  
elaborare, eumque Latinis Christia-  
norum scholis dicare. Quanto faci-  
lius iuuenes eiusmodi breue et ipso-  
rum captui accommodatum religionis  
et morum systema memoriae mandabunt  
intelligentque.

Nouum istud huic Catechismo in-  
sertum idque praecipuum Caput,

### PRAECEPTA CHRISTI conti-

nens, omnibus religionis cultoribus  
pergratum erit. Miror sane, non iam  
dudum pio huic desiderio satisfactum  
esse. Lex Mosaica puerili, Praecepta  
Jesu virili mundi ingenio respondent.  
Nonne ipse coelestis docto: Ego, in-  
quit, veni ad legem implendam, hoc  
est, altioribus sapientiae praceptis  
supplendam.

Caeterum libelli huius scopus fini re-  
ligionis Jesu conformatus est, ut ani-

*mi ad integritatem ducantur, et ad  
magnam illam spem futuri digne p-  
parentur.*

*Benedicat Deus omnibus hoc opus-  
culo utentibus ad perennem ipsorum  
salutem.*



*CHRI-*



**CHRISTIANAE RELIGIONIS  
DOCTRINA  
RYTHMICE TRADITA.**

---

SVMMA CATECHISM.

**H**aec Christiana dogmata  
Cum verbo Dei congrua  
Te docent pie viuere  
Et spem salutis alere.

---

**I. DE-**

# I. DECALOGVS.

Ad melodiam:

Veni creator Spiritus.

1.

**H**æc summa est Decalogi:  
Timorem disce Domini,  
Vt viuas insons, candidus.  
Sic dicit Deus Dominus:

2.

Idola nulla colito,  
Confide Deo vnico,  
Qui te et mundum condidit,  
Te audit, tibi prospicit.

3.

Ne frustra Dei nomine,  
Sed reuerenter vtere.  
Nil tam ad bonum incitat,  
Quam mens, quæ Deum cogitat.

4.

Sanctificato Sabbathum,  
Sit quies laborantium.  
Frequenta sacra publica,  
Vt crescas sapientia.

5. Pa-

5.

Parentes pie colito,  
Vt fato viuas prospero.  
Hi quoque venerandi sunt,  
Qui ius, qui sacra obeunt.

6.

Abhorre homicidium,  
Non lædito vel minimum,  
Sed iuuua quemque potius,  
Sic te iuuabit Dominus.

7.

Adulter esto neutiquam  
Et fuge impudentiam.  
Cor tuum castum maneat,  
Tunc Deus in te habitat.

8.

Ne furto quidquam surripe,  
Labore victimum contrahe.  
Sis fidus, iustus, sedulus  
Exspectans fructum cœlitus.

9.

Ne falle testimonio,  
Sed veritatem dicito,  
Tunc boni tibi annuent,  
Mendacem rubefacient.

10. Ne

10.

Ne aliena appete,  
Suum cuique tribue,  
Compeſce mentis impetus,  
Vt maneas innoxiuſ.

11.

Qui hæc præcepta despicit  
Et obedire abnuit,  
Incurrit in perniciem  
Suamque perdit fobolem.

12.

Qui vero ea perficit,  
Ad dignitatem peruenit,  
Suosque feros posteros  
Prælucens reddit floridos.

13.

Sic, homo, stude ſedulo,  
Quid Deo et quid proximo  
Tibique ipſi debeas.  
Hinc oritur felicitas.



II. SYM-

## II. SYMBOLVM APOSTOLICVM.

Ad melodiam:

Veni creator Spiritus.

1.

Hoc Fidei eſt Symbolum  
Agnosce Deum vnicum,  
Et crede Euangeliō.  
Hinc noſtra eſt Confessio.

2.

Aeternum DEVS exſtitit,  
Qui vniuerſum condidit,  
Qui Pater eſt omnipotens  
Et omnibus proſpiciens.

3.

Cum mundus eſſet perditus  
Ignorans Deum atque ius,  
Tunc Deus ſuum vnicum  
Saluti misit Filium

4.

Hic mire homo genitus  
Virtute sancti Spiritus  
Ex illibata virgine  
Cum sancto JESU nomine.

5. Hic

5.

Hic animis consuluit  
Et viam coeli docuit,  
De nobis summe meritus  
Famosa cruce mortuus.

6.

Sed resurrexit triduo  
Apparens suis gaudio.  
Præsentibus his postea  
Ascendit cœlum gloria.

7.

Hic regnat noster Dominus,  
Venturus iudex vltimus,  
Ad repensandum omnia  
Et defunctorum opera.

8.

Quod Jesus docet optimus,  
Hoc vrget sanctus SPIRITVS,  
Illuminans ecclesiam  
Ad charitatis copulam.

9.

Hic suggerit diuinitus  
Solamen poenitentibus,  
Remissa fore omnia,  
Ni repetantur, debita.

10. Hic

10.

Hic spem dat iustis animis  
Et corpora ex tumulis  
Resurrectura splendida  
Aeternitate florida.

11.

Sic disce, vnde salus sit:  
Te Deus Pater diligit,  
Te saluat Dei Filius,  
Te sacrat sanctus Spiritus.



III. PRÆ-

### III. PRÆCEPTA CHRISTI.

Ad melodiam:

Pater noster, qui in cœlis.

1.

Qui Christianus diceris,  
Ex Saluatoris labiis  
Salutem disce animæ  
Viamque coeli quærere.  
Infige alta mente has,  
Quas ipse dedit, Regulas.

2.

Est DEVS, Pater omnium  
Sub toto cœlo hominum.  
Hic quoque pater sicut te,  
Quapropter illum dilige  
Ex tota tua anima.  
Hæc legum est primaria.

3.

Sicut te ipsum itidem  
Quemcumque ama hominem.  
Nam omnes sumus filii  
Cœlesti patre geniti.  
Fac ergo lubens aliis,  
Quod tu ab iis expetis.

4. Hæc

4.

Hæc lex ut sancta maneat,  
Sic eam Jesus consecrat;  
Seruite vobis inuicem,  
Vt vobis dedi specimen,  
Hæc charitatis copula  
Meorum esto tessera.

5.

Estote Deo similes,  
Qui fert quoscumque homines.  
Ne damna fratrem temere,  
Te ipsum noſce, corrige,  
Da veniam cuilibet,  
Par pari numen referet.

6.

Et inimicum dilige,  
Cum indiget, ne defere,  
Sed bona fide adiuua,  
Nec malum mało vindica,  
Vt mens cum Deo congruat,  
Qui malis quoque panem dat.

7.

Non esto opum audius;  
Nec victus causa anxius,

Sed

Sed appete iustitiam  
Et regni Dei gloriam.  
Qui cibum dat auiculis,  
Quin dabit suis filiis?

8.

Quodsi fors tua præminet,  
Tunc caue, ne illaqueet  
Cor tuum petulantia,  
Vel gutturis luxuria,  
Ne forte dies vltimus  
Te obruat ceu laqueus.

9.

Hinc in te ipsum vigila,  
Cupiditates iudica.  
Cum tentant te seducere,  
Ne præceps illas sequere,  
Sed funde preces sedulas,  
Ne in peccatum incidas.

10.

Se vincere est quidem crux,  
Sed Christi vox est nostra lux,  
Qui eam fide sequitur,  
Virtutis palma fruitur.  
O ter beatus, cuius mens  
Ad typum Christi innocens!

II. Cœ-

**II.**  
Cœlestem Patrem obsecra  
Adorans mente conscia  
In Jesu Christi nomine,  
Tunc audit te beneuole  
Et Spiritus virtutem dat,  
Qui bonum in te procreat.

12.

Sed caue ab hypocrisi  
Externo fidens cultui.  
Quid iuuant sacra fatua  
Cum defunt digna opera?  
Fac voluntatem Domini,  
Hæc summa omnis fidei.

13.

Venturus ad iudicium  
Supremus iudex omnium  
Non quæreret, quid credideris,  
Sed fratribus quid feceris,  
Et reputabit singula  
Ac sibi ipsi præstita.

14.

Hinc Jesus hoc praeceptum dat:  
Lux vestra palam luceat,

B

Vt

Vt vitæ factimoniâ  
Pandatur Dei gloria.  
Væ autem illis perditis,  
Qui scandala dant aliis!

## 15.

Cum res afflictæ premunt te,  
Spe plenus cœlum adspice.  
Fer, quicquid Dei nutu fit,  
Futurum tibi curæ sit.  
Qui fidus est et permanet,  
Coronam cœli obtinet.

## 16.

Si malum te seduxerit,  
Mens conscia te arguit,  
Tunc prauitatem exue,  
Ad Jesum supplex confuge  
Emendaturus vitia.  
Hæc vera pœnitentia.

## 17.

Diuinam nactus gratiam,  
Ad pristinam nequitiam  
Incurius ne ḡedeas,  
Ne in peiora incidas.

Quid iuuat mundi copia,  
Si anima est perdita?

## 18.

Sic Jesus ait denique:  
Qui amat me ingenue,  
Is verba mea faciet,  
Hunc pater meus diligit  
Et dabit ei præmium  
Aeterna sorte lucidum.

## 19.

Hæc sunt, quæ Jesus præcipit.  
Qui sapit, ipsi obedit  
Et vitam degit prouidam,  
Cœlestem sperans gloriam,  
Quo anima prægreditur  
Et corpus suscitabitur.

## 20.

Qui vero malus permanet,  
Etsi exacte faceret,  
Quod Dei cultum simulat,  
Se ipsum jam infatuat,  
Et vltimum iudicium  
Damnabit hunc maleficum.

## 21. Tu

21.

Tu credens Jesum sequere  
 Et fidem factis exprime,  
 Tunc acquiescat animus  
 Cœlestis spei conscius,  
 Vel ipsa mors hanc placidam  
 Non rapiet fiduciam.



IV.ORA-

## IV. ORATIO DOMINICA.

Ad melodiam:

Cur contristaris meum cor.

I.

Fer Deo preces fedulo  
 Ex filiali animo,  
 Tunc ipsi charus es.  
 Hinc Jesus preces precipit  
 Et sic precari docuit:

2.

Tu Pater nostrum omnium,  
 Qui pandis cœli solium,  
 Quam sanctus sanctus es!  
 Fac nobis tuam gloriam  
 In tuam laudem cegnitam.

3.

Fac charitate præditos  
 Nos regni tui socios.  
 Voluntas tua sit  
 Hic vitæ nostræ facies,  
 Ut supra apud cœlites.

4.

Da nobis panem hodie  
 Et rebus nostris consule.

Si


Si quid delinquimus,  
Ignoſce nobis miseriſ,  
Nos ignoſcemus aliis.

5.

Fac ſimus ſemper prouidi,  
Ne nos malorum ſtimuli  
Seduant auidos.  
Cum accidunt pericula  
Nos ex adverſis libera.

6.

Tu, qui es mundi Dominus  
Et Deus noſter vnicus,  
Tu regis omnia.  
Fac tui noſ particeps.  
Amen! hoc certe facies,



V, MI.

## V. MINISTERIVM ECCLE- SIASTICVM.

Ad melodiam:

Pater noster, qui in cœlis.

I.

Doctrinam Euangeliū,  
Qua Christus et Apostoli  
Diuinitus perfuncti funt,  
Ministri verbi obeunt,  
Vt Deo reddant animas  
Religione præditas.

2.

Hoc munus Iesu ſtatuit,  
Discipulis ſic tradidit:  
Vt Pater me, ſic ego vos,  
Conſtituo Apoſtolos.  
Qui vos auſcultat, audit me,  
Qui ſpernit vos, contemnit me.

3.

En vobis sanctus Spiritus  
Ad ſacrum munus inditus.  
Maleficos reiſcite,  
Quos pœnitet, abſolute.  
Hæc vobis data dignitas  
Cœleſtis eſt autoritas.

4. Hoc

4.

Hoc ipsum Ministerium  
Pastoribus est creditum.  
Quod sancte docent, candide  
Ceu verbum Dei respice.  
Saluti tuæ consulens  
Tu ipsis esto obsequens.



## VI. BAPTISMVS.

Ad melodiam:

Cur confristaris meum cor.

I.

Baptismum sanxit Dominus,  
Vt nobis sit introitus  
In regnum gratiæ.  
Hinc etiam infantibus  
Ad coetum Christi aditus.

2.

Sic Jefus ad Apostolos:  
Adite, inquit, populos,  
Docete publice.  
Qui credunt, hos baptifmate  
Confortes meos facite

3.

In nomen Patris maximi  
Et benedicti Filii  
Et sancti Spiritus,  
Vt discant cuncta obsequi,  
Quæ ego vobis tradidi.

4.

Qui sic baptismum æstimat,  
Vt fidem factis exprimat,

Ad

Ad cœlum peruenit.  
Qui vero contra facit,  
Hanc sibi fortem derogat.

5.

Tu, quia baptizatus es,  
Ad Christi cœtum pertines,  
Sed hoc non sufficit.  
Virtutes fac laudabiles,  
Tunc verus Christianus es.



VII. SA-

## VII. SACRA COENA.

Ad melodiam:

Cum Christus natus esset.

I.

Nocte, qua est proditus  
Christus noster Dominus,  
Cœnam noui foederis  
Sanxit suis affeclis,  
Ut amoris vinculo  
Fidei communio  
Confirmetur denuo.

2.

Deo agens gratias  
Panem sicut alias  
Comedendum præbuit,  
Sed hoc pactum addidit:  
Hic vos mei corporis  
Sacramentum manditis  
Expiandis debitis.

3.

Benedictum itidem  
Dedit ipsis ealicem,  
Dicens: quod hic bibitis  
Hoc est mei sanguinis

Teſta-

Testamentum, traditum  
Tamquam sacrificium  
Pro peccatis hominum.

4.

Quoties conuiuitis  
Et hunc panem editis,  
Quotiesque inuicem  
Bibitis hunc calicem,  
Sancte recordamini  
Passionem Domini  
Et quæ vobis merui.

5.

Quanta est, o anima,  
Jesu amicitia!  
Simus ipsi similes  
Omnibus amabiles,  
Tunc ipsius proprii  
Erimus perpetui  
Et cœlestes socii.



## VIII. PRECATIO MATVTINA.

I.

Mi Deus, tuam denuo  
Nunc gloriam conspicio,  
Jam nocte pulsa omnia  
Te laudant tua opera.

2.

En tibi Patri maximo,  
Has meas grates offero,  
Pro omnis boni copia  
Et pro quiete placida.

3.

Quot casus potuissent me  
Per tenebras obruere,  
Sed tua manus aderat,  
Quæ gaudio me fulcitat.

4.

Dormiui tamquam mortuus,  
Nunc reuiisco validus.  
O effet vita hæc in me  
Sancita tuæ gloriae!

5.

Quæ mea sunt officia  
Pro fida conscientia

Serena

Serena fronte faciam  
Ad verbi tui regulam.

6.

Tu nihil eges, Domine,  
Nam quod habemus, est a te.  
Sed quod iam tibi nequeo,  
Hoc, soluam meo proximo.

7.

Nos vno Deo geniti  
Communi scopo conditi,  
Qui possem fratres linquere,  
Quin illis sim lætitiae?

8.

O essent omnes homines  
Felices, amicabiles!  
Nec ego unquam desinam,  
Vt aliis inferuiam.

9.

Hoc fatum tuum firmum est,  
Qui viuit sic, te dignus est  
Et tua gaudet gratia  
Futura fretus gloria.

10.

Ad hoc me, Pater, incita  
Et imbecillem subleua,

Vt præbeam me utilem  
Ad verbi tui indolem.

## EXHORTATIO.

Fac, Deus, vt summopere  
Considerem quotidie:

*Quae erunt coeli gaudia?*

*Inferni quae tristitia?*

*Quid sanxit Iesu crux et mors?*

*Quae erit mortis meae fors?*

Hæc quatuor arcento me,  
Ab omni malo strenue,  
Vt sim virtuti deditus  
Et boni semper conscius.

Amen.



## IX. PRECATIONES MENSALES.

### BENEDICTIO MENSAE.

Tu, qui tu alis omnia,  
 Fac, vt hæc cibi copia,  
 Quam tua manus præbuit,  
 Saluti vitæ nostræ sit,  
 Tuæque prouidentiæ  
 Agantur nostræ gratiæ,

### GRATIARVM ACTIO.

Laudamus mente hilari  
 Benigitatem Domini,  
 Qui corpori nunc prosperam  
 Donauit alimoniam.  
 Det quoque nostræ animæ,  
 Virtutes sapientiæ.

Amen.



### X. PRE-

## X. PRECATIO VESPERTINA.

### 1.

Decessit dies denuo  
 De vitæ meæ numero!  
 Sic ætas mea labitur  
 Et ad suprema ducitur.

### 2.

Mi Pater, tua manus me  
 Diuino texit numine  
 Sortemque dedit prosperam,  
 Quas grates tibi referam?

### 3.

Tu bene facis omnia —  
 Sed quæ sunt mea opera?  
 Num feci, quicquid conuenit,  
 Ut nihil penitendum sit?

### 4.

Qui cuncta vides, Domine,  
 Vidisti quoque hodie,  
 Quid boni iam neglexerim  
 Et quid iniuste fecerim.

### 5.

Quodsi hac nocte subito  
 Jam iam vocatus fuero

C

Ad

Ad iustum tuum solium,  
Quid exculparet miserum.

6.

Ignosce, Pater, obsecro,  
Remitte culpam anxio  
Et miserere filii,  
Qui pollicetur obsequi.

7.

Hoc meum est propositum,  
Sed eheu num in posterum  
Respondet votis exitus,  
Ni adsit tuus Spiritus!

8.

Hunc mihi da, qui corrigat,  
Cum mali mens quid agitat,  
Vt resipiscens illico  
Virtutem sequar denuo.

9.

Adhuc te precor, Domine,  
Me atque meos protege,  
Vt somnus nos reficiat,  
Dum nos aurora suscitat.

10.

Tunc noua luce iterum  
Cantabo Te, Ter maximum.

His

His precibus tu annue,  
Sic lectum petam placide.

## B E N E D I C T I O

O sancte Dei Spiritus,  
Illustra me diuinitus,  
Fac mihi Dei gloriam  
Magis magisque cognitam.  
Præcipue in anima,  
Diuinam pacem mihi da,  
Vt semper recti conscius,  
Salutis sim indubius.

Amen.



TA-

TABVLA OECONOMICA  
SEV PRAECIPUAE AD COMMUNEM  
VITAM REGVLAE.

1.

Cum Deo quodus incipe  
Vt facto gaudeas,  
Finito autem opere  
Fer Deo gratias.

2.

Adora vitæ Dominum,  
Cum surgis lectulo,  
Et cum te confers cubitum  
Fer preces Maximo.

3.

Occultus mundi oculis  
Ne fac, quod dedecet,  
Qui cuncta fert ex tenebris  
In lucem proferet.

4.

Si mens est recti conscia,  
Quid est, quod timeas?

Ma-

Maledici mendacia  
Denudat veritas.

5.

Ne pietatem simula  
Imponens credulis.  
Nam laruâ tandem proditâ  
In probrûm incidis.

6.

Adfuesce bono saepius  
Aetate tenera.  
Ex ysu venit habitus  
Natura altera.

7.

Qui moribus sunt perditis,  
Hos caue sedulo.  
Hac peste si inficeris,  
Væ tibi misero!

8.

Nil iurans dic, nil exsecrans,  
Ne malæ notæ sis,  
Ceu homo, sacra violans,  
Qui detestabilis.

9. Sint

9.

Sint sanctæ tibi feriæ  
In templo Domini.  
Nuna concio, an epulæ  
Maioris pretii?

10.

Ex quorum natus sanguine,  
Hos pie colito,  
Et canos foue maxime,  
Hinc benedictio.

11.

Accepta beneficia  
Ne obliuiscere.  
Non peior est malitia  
Ingrato homine.

12.

Quod tibi non vis fieri,  
Ne cui feceris.  
Par quisque homo homini,  
Cuique æquus sis.

13.

Confilio et opera  
Adsistet indigis.

Quo.

Quo magis res est dubia,  
Ceu Deus aduenis.

14.

Ne preme quemquam, quisquis sit,  
Nec fac iniurias.  
Qui cuncta fata dirigit,  
Rependet lacrymas.

15.

Ne quemquam fac ludibrio,  
Sit mendæ venia.  
Quis est, qui caret vitio?  
Te ipsum iudica.

16.

Honore quemque excipe,  
Tunc honoraberis.  
Inculte fese gerere  
Permitte rusticis.

17.

Ab omni rixa abstine  
Et cede decies.  
Nam victor mansuetudine,  
Feruore victus es.

18. Ma-

18.

Mature iram supprime,  
Ne mentem opprimat  
Ceu torris, qui intrinsece  
Furorem concitat.

19.

Ne sis vindictæ cupidus,  
Si quis te læserit,  
Ne malum eo grauius  
Verendum tibi sit.

20.

Si verus es philanthropus,  
Et inimico sis.  
Si ipsi es beneficus,  
Amicum efficis.

21.

Libidinis illecebras  
Ceu anguem effuge.  
Quodsi te his irretias,  
Væ vitæ miseræ!

22.

Vxorem ducere si vis,  
Amicam elige,

Quæ

Quæ animi est nobilis,  
Et gaude coniuge.

23.

Sic tuos ale liberos,  
Vt discant sapere,  
Et gerere se candidos,  
Et artes alere.

24.

Ne perde tempus otio,  
Ex quo desidia,  
Neglecto iam negotio,  
Addiscit scelera.

25.

Fac facienda apprime,  
Vt quies dulcis sit.  
Quod deses differt hodie,  
Cras eo minus fit.

26.

Lucrare panem iuuenis,  
Vt senex habeas.  
Quam esses miserabilis,  
Si tunc esfuriás.

27. Sed

27.

Sed nil iniuste congere,  
 Ne te exagitent,  
 Iniuriarum furiæ,  
 Et opes dissipent.

28.

Ne plus habenti inuide  
 Succensens Numini,  
 Sed forte tua vtere  
 Ex mente hilari.

29.

Ne perde te luxuria,  
 Quæ tot infatuat,  
 Quæ hodiè conuiuia,  
 Cras efurire dat.

30.

A crapula te abstrahet,  
 Ne fias ebrius,  
 Et bellua ex homine,  
 Ex firmo languidus.

31.

Ne lucraturus inhia  
 Chartis lusoriis,

Nam

Nam perdunt nummos, otia,  
 Et famam nominis.

32.

Mercedem atque debitum  
 Per solue integre,  
 Tunc meritus suffragium  
 Senesces placide.

33.

Mendacibus et perfidis  
 Applaudant perditæ.  
 Tu verax atque fidus sis,  
 Te colent superi.

34.

Sit menti tuæ nescia  
 Fraus atque falsitas,  
 Sed lingua cordi congrua,  
 Hæc vera dignitas.

35.

Promissa semper recole  
 Et sancte perfice,  
 Tunc tibi fident vndique  
 Quam honorifice.

36. Ne

## 36.

Ne crede, quicquid dicitur,  
Sed prius iudica,  
Nam merito illuditur,  
Qui refert fatua.

## 37.

Quum multis te blandiloquus  
Promissis excipit,  
Ne fide, nisi cognitus  
Aut bonæ famæ sit.

## 38.

Fraus, fucus et astutia  
In mundo imperant.  
Sis prouidus per omnia,  
Ne te decipiānt.

## 39.

Arcanum nulli detege,  
Nam noui cupidus  
Jam iam inflatus noua re  
Efflabit pluribus.

## 40.

Considera vbinam sis,  
Nec vane loquere.

Nam

Nam sœpe lingua futilis  
Occlusa verbere.

## 41.

Os stulti iam immodice  
Enarrat friuola.  
Tu prudens linguam cohibe,  
Tacendo supera.

## 42.

Qui detrahit absentibus,  
Hunc caue, iuuenis.  
Num tibi parcer garrulus,  
Cum absens fueris?

## 43.

Cum sermo est de aliis,  
Amice iudica,  
Tunc certe tuis meritis  
Accident commoda.

## 44.

Sed impium ne protege,  
Quem quisque improbat,  
Nec plus de illo loquere,  
Ne tibi noceat.

45. Quodsi,

45.

Quodsi, vt fit, erraueris,  
Agnosce, corrige.  
Si obstinatus fueris,  
Quis non ridebit te?

46.

Addisce bonas litteras,  
Quæ mentem euehunt,  
Et tandem fruges meritas,  
Honores pariunt.

47.

Initium vt graue sit  
Insuetis viribus,  
Progressus tamen leuis sit,  
Jucundus exitus.

48.

Si munus quod susceperis,  
Fac summâ operâ.  
Quo grauiora viceris,  
Hoc maior gloria.

49.

Rem arduam cum suscipis,  
Consulto opus est.

Post factum sero consulis,  
Cum damnum præsto est.

50.

Quemcumque lætum reddere,  
Sit tua gloria,  
Quid quod felicem facere,  
Hæc fides optima.

51.

In dies te examina,  
Vt mendas corrigas.  
Hinc oritur præcipua  
Virtutis claritas.

52.

Ad has vt viuam regulas,  
Tu, Deus, adiuua.  
Sit mea vita — bonitas,  
Et mors — victoria!



